Quelle: https://manuscripta.at/?ID=26123
Copyright: Admont, Benediktinerstift

Et ait illis: Qui sunt hi sermones quos conferis ad inuicem ambulantes & estis tristes? Et respondens unus cui nomen cleophas dixit ei: Tu solus peregrinus es in hierusalem & non cognouisti que facta sunt in illa his diebus? Qui ait illis: Que? Et dixerunt: De iesu nazareno qui fuit uir propheta potens in opere & sermone coram deo & omni populo & quomodo eum tradiderunt summi sacerdotes & principes nri in damnationem mortis & crucifixerunt eum. Nos autem speramus quia ipse esset redempturus israel. Et nunc sup hec omnia tertia dies est hodie quod hec facta sunt. Sed & mulieres quedam ex nris terruerunt nos que ante lucem fuerunt ad monumentum & non inuento corpore eius uenerunt dicentes se etiam uisionem angelorum uidisse qui dicunt eum uiuere. Et abierunt quidam ex nris ad monumentum & ita inuenerunt sicut mulieres dixerunt ipsum uero non inuenerunt. Hec secundum lucam ita narrant ut meminisse ac recolere potuerit quod a mulieribus dictum erat uel a discipulis qui cucurrerant ad monumentum quando eis nuntiatum est quod ablatum inde sit corpus eius & ipse quidem lucas petrum tantum dicit cucurrisse ad monumentum & pecumbentem uidisse linteamina sola posita & abisse secum mirantem quod factum fuerat. Hoc autem de petro commemorat prius quam narret de his duobus quos inuenit iuna. postea quam narrauit de mulieribus que uiderant angelos & a eis audierant quod resurrexisset tamquam tunc petrus ad monumentum cucurrerit. Sed intelligitur hoc lucas recapitulando posuisse de petro. Tunc enim petrus cucurrit ad monumentum quando & iohannes cum tantumodo a mulieribus precipue maria magdalene nuntiatum eis fuerat de corpore